



# BOLETÍN ECLESIAÍSTICO

DEL

## OBISPADO DE SALAMANCA

### SUMARIO

- I. Decreto de la Sagrada Congregación de Ritos y adiciones y variaciones en las Rúbricas generales y especiales del Breviario Romano.—II. Circular de la Secretaría del Seminario Pontificio.—III. Hermandad de Sufragios mútuos.—IV. Bibliografía.

### DECRETO DE LA SAGRADA CONGREGACIÓN DE RITOS

#### URBIS ET ORBIS

Quum per generale Decretum super primariis et secundariis Festis jusserit Sanctissimus Dominus noster Leo Papa XIII, ad illius normam Rubricas Breviarii et Missalis Romani esse interpretandas, Decretaque in contrarium facientia penitus abroganda; factum est, ut plura Sacrorum Rituum Congregationi proposita fuerint resolvenda dubia; quibus per alia subsequencia Decreta idem Sacrum Tribunal satisfacere officii sui duxit.

His autem quum alia quoque, controversias exortas penitus evellendi causa, accessissent recentiora Decreta pro quarumdam tam Breviarii quam Missalis Rubricarum au

thentica interpretatione; Emmus. ac Rmus. Dnus. Cardinalis Cajetanus Aloisi Mazzella, tunc Sacrorum Rituum Congregationis Praefectus, Summi Pontificis proposito inhaerens, ut inter latas Decretorum leges Rubricarumque praescriptiones maxima exstaret conformitas, munus concedit Commisioni Liturgicae praefata revisendi examinandique Rubricas easque ad recentiorum Decretorum normam concinnandi.

Opus vero ab ipsa Commissione absolutum, prouti in superiori extat exemplari, quum idem Emmus. ac Dnus. Cardinalis Aloisi Mazzella Relator in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitii ad Vaticanum subsignata die habitis proposuisset; Emmi. ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis, Rubricas sic emendatas approbari posse censuerunt. Die 7 Decembris 1897.

Quam sententiam deinde per infrascriptum Cardinalem Sacro eidem Coetui Praef. Sanctissimo Domino nostro Leoni Papae XIII relatam, Sanctitas Sua ratam habuit, ac suprema Auctoritate Sua confirmavit: simulque praecepit, ut suprascriptae variationes, hoc Decreto approbatae, in novis editionibus Breviarii et Missalis Romani, servatis de cetero servandis, inserantur. Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis. Die 11 iisdem mense et anno.—CARD. MAZZELLA, *Praef.*—DIOMEDES PANICI, S. R. C. *Secretarius.*

**Addenda et varianda in Rubricis generalibus et specialibus, Breviarii Romani, justa Decretum Sacrae Congregationis.**

In Rubricis generalibus

I.—DE OFFICIO DUPLICI

N. 2. Festum duplex celebratur aut de eodem fit Com-

memoratio eo die quo cadit, nisi illud contingat transferri *aut penitus omitti*, ut dicitur in Rubrica de Translatione Festorum.

N. 6. Preces ad Primam et Completorium, et Suffragia de sancta Maria, sancto Joseph, Apostolis, *Titulo*, et Pace ad Vesperas et Laudes non dicuntur in Officio duplici, ut etiam in propriis eorum Rubricis dicitur:

## II.—DE OFFICIO SEMIDUPLICI

N. 2. De Festo semiduplici fit eo die quo cadit, aut de illo ponitur Commemoratio, *vel penitus omittitur*, ut dicitur in Rubrica de Translatione Festorum.

## IV.—DE DOMINICIS

N. 1. De Dominica semper fit Officium in Dominicis Adventus, et in Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam in Albis inclusive, quocumque Festo duplici, vel semiduplici adveniente: quia tunc Festum transfertur aut, de eo fit Commemoratio *aut penitus omittitur* (ut in Rubrica de Translatione Festorum dicitur), nisi illud Festum sit *Duples primae classis*; quia tunc fit tantum de hujusmodi Festo, cum Commemoratione Dominicae: quibusdam Dominicis exceptis, ut dicitur in Rubrica de Commemorationibus. In aliis Dominicis per annum fit de Dominica, etc.

## VII.—DE OCTAVIS

N. 3!.... ut dicitur in eadem Rubrica de Translatione Festorum. Infra Octavam Epiphaniae fit tantum *de Duplicibus primae classis (non tamen in die Octava)* cum Commemoratione Octavae. Infra Octavam Corporis Christi, etc.

VIII.—DE OFFICIO S. MARIAE IN SABBATO

N. 5. Dicuntur Preces Dominicales ad Primam et Completorium, ut fiunt Suffragia consueta de sancto Joseph, de Apostolis, de *Titulo*, et de Pace, et tempore Paschali sola Commemoratio de Cruce, ut in secunda Feria post Octavam Paschae. Post Nonam nihil fit de ea, nisi consueta ejus Commemoratio cum aliis Suffragiis, quando dicenda sunt in Officio de Dominica.

IX.—DE COMMEMORATIONIBUS

N. 8. Commemorationes fiunt hoc modo: Post Orationem diei, in primis Vesperis dicitur Antiphona quae posita est ad *Magnificat*, et in Laudibus quae posita est ad *Benedictus* in Communi (si propriam non habuerit) conveniens ejus Officio, cujus fit Commemoratio. Post Antiphonam dicitur Versus, inde sumendus, unde sumpta est Antiphona, scilicet post Hymnum Vesperarum et Laudum: deinde dicitur Oratio. Si Antiphona et Versus Festi *simplicis*, de quo fit Commemoratio, sumenda essent ex eodem Communi, unde sumpta sunt in Officio diei, in Festo Commemorationis variantur ita ut in Vesperis sumantur ex Laudibus et in Laudibus ex primis Vesperis ejusdem Communis, nisi aliter signetur. *Si vero ex eodem Communi, unde sumpta sunt in Officio diei, sumenda essent Antiphona et Versus Festi redacti ad instar Simplicis, tunc in primis Vesperis Antiphona et Versus sumantur e secundis; si Festum utrasque Vesperas habeat, in Laudibus e primis Vesperis, et in secundis Vesperis Antiphona sumatur e Laudibus et Versus e primis Vesperis, nisi aliter signetur: exceptu caso, quo Commemoratio alicujus S. Virginis facienda sit in Festo alterius S. Virginis; tunc enim in primis Vesperis pro S. Virgine, de*

qua agitur Commemoratio, Antiphona sumenda erit e Laudibus. Quando vero Festum ad instar Simplicis recolendum Commemorationem in secundis Vesperis ob Festum duplex primae vel secundae classis inmediate sequens non habeat, fit ut supradictum est de Festis simplicibus. Et similiter si in secundis Vesperis sanctae Angelae Mericiae, aut alterius Sanctae novem Lectionum, fieri debeat Commemoratio Beatae Mariae, pro ejus Officio in sequente Sabbato celebrando, ne repetatur v. *Diffusa est gratia*, dicatur v. *Benedicta tu*, ex Laudibus. Si item occurrat, ut eadem sit Oratio Festi de quo sit Officium, et ejus de quo fit Commemoratio, mutetur Oratio pro Commemoratione in aliam de Communi. Si de Tempore fiat Commemoratio, de Dominica scilicet, vel Feria, Antiphona et Versus ante Orationem eodem modo sumantur ex Proprio de Tempore, si habuerit proprium, alioquin de Psalterio, Oratio vero ex Proprio de Tempore.

N. 11. Quando contingit fieri plures Commemorationes illae semper praeponantur, quae ad Officium pertinent, cujuscumque sit ritus; exceptis illis, quae ab Officio, de quo agitur, numquam separantur, uti de sancto Paulo Apostolo in Cathedra sancti Petri, etc., prout in Rubricis specialibus suo loco dicitur. Deinde servetur hic ordo: 1, de Dominica privilegiata; 2, de die Octava; 3, de Duplici majori; 4, de Duplici minori, ad instar Simplicium redactis; 5, de Dominica communi; 6, de die infra Octavam Corporis Christi; 7, de Semiduplici; 8, de die infra Octavam communem ad simplicem ritum pariter redactis; 9, de Feria majori vel Vigilia; 10, de Simplici. De Sancta Maria (quando in secundis Vesperis Festi novem Lectionum, quod Feria sexta celebratum sit, de ea fieri debet Commemoratio pro Officio sequentis Sabbati) fiat ante festum simplex in Sabbato occurrens. De festo simplici fit Commemoratio ante Suffragia,

seu communes Commemorationes de Cruce, sancta Maria, sancto Joseph, Apostolis et de Pace, et ante Commemorationem cujuscumque Tituli vel Patroni Ecclesiae, quae etiam pro sui dignitate alii Suffragiis praedictis praepone-  
retur. De quibus Suffragiis, quomodo et quando facienda  
sint, habetur inferius propria Rubrica.

X.—DE TRANSLATIONE FESTORUM

N. 1. Si aliquot Festum duplex occurrat in Dominicis Adventus, et in Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam in Albis inclusive, in Vigilia et Festo Nativitatis Domini, in die Circumcisionis, in Festo ac tota Octava Epiphaniae, in Feria quarta Cinerum, in tota majori Hebdomada, et infra Octavam Paschae, in Ascensione Domini, in diebus a Vigilia Pentecostes usque ad Festum Sanctissimae Trinitatis inclusive, in Festo Corporis Christi, et ejus die Octava, in Festo *Sacratissimi Cordis Jesu*, in Festis Immaculatae Conceptionis, *Annuntiationis* et Assumptionis Beatae Mariae Virginis, in *Nativitate sancti Joannis Baptistae*, in Festo sancti Joseph Sponsi ejusdem *Beatae Mariae Virginis*, *sanctorum Apostolorum Petri et Pauli*, ac Omnium Sanctorum, transfertur, in primam diem Festo Duplici vel semiduplici non impeditam, exceptis tamen Festis Nativitatis sancti Joannis Baptistae, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, qua in die Octava Corporis Christi et in Festo *Sacratissimi Cordis Jesu* celebrantur: excepto quoque Festo quocumque solemni alicujus loci, quod in propria tantum Ecclesia, etiam in alicujus ex supradictis diebus occurrens, scilicet in Dominicis secunda, tertia et quarta Adventus, et Quadragesimae, Dominica Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae, et diebus infra Octavam Epiphaniae (ut in Rubrica de Commemorationibus dictum est) et excepto Festo primario solemni in Festo *Sacratissimi*

*Cordis Jesu*, celebratur. Si autem Festum Purificationis Beatae Mariae Virginis venerit in aliqua Dominica secundae classis, transfertur in Feriam secundam sequentem quamvis impeditam. Item si Festum Nativitatis sancti Joannis Baptistae venerit in die Corporis Christi fit tantum Commemoratio sancti Joannis: sequentibus autem diebus fit Officium de eadem Octava Corporis Christi cum Commemoratione Octavae sancti Joannis. Dies autem Octava sancti Joannis, tunc veniens in die Octava Corporis Christi, non transfertur, sed de illa eo anno fit tantum Commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus diei Octavae Corporis Christi: et id semper servetur quando Festum habens Octavam transfertur; ut non ideo dies Octava transferatur, sed ipsa die de ea fit Commemoratio, quae alias erat Octava, si Festum non fuisset translatum. Quod si Festum per totam suam Octavam transferri contigerit, illo anno celebratur sine Octava: nisi Titularis Ecclesiae privilegio aliter fieri oporteat. Festa tamen duplicita minora, exceptis illis Sanctorum Ecclesiae Doctorum si occursu Dominicae, vel majoris Festi seu Officii quodmodocumque impediuntur, non transferuntur, sed ipso die quo cadunt, de eis fit in utrisque Vesperis et Laudibus Commemoratio, et legitur nona Lectio historica ad Matutinum, si tamen haec eo die fieri possint; secus hujusmodi Festa duplicia minora eo anno penitus omittuntur, ut in praecedenti Rubrica dictum est num. 7 et 10, et infra de Simplici dicitur num. 8. Iisdem comprehenduntur regulis alia Festa duplicia, quorum translationi in toto anni decursu locus non superest. *Festa tamen Duplicia minora, quamquam non sint Doctoris Ecclesiae, si quotannis a digniori Officio impediuntur, reponuntur in prima die libera, tamquam in propria sede perpetuo recolenda.*

N. 5. Festum Semiduplex occurrens diebus supradictis,

et infra Octavam Corporis Christi, et allis Dominicis per annum, non transfertur, sed ipso die quo cadit, de eo fit Commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus, et legitur nona Lectio historica, aut illud penitus omittitur, ut supra de Duplici minori dictum est. *Festum tamen semiduplex, si quotannis ab Officio digniore impediatur, reponitur in prima libera, tamquam in propria sede perpetuo celebrandum, uti de Duplici minori superius cautum est.*

N. 6. Si duo vel plura Festa novem Lectionum simul eodem die veniant, fiat Officium de majori, id est, de Duplici, et de Semiduplici fiat Commemoratio, ut supra. At si omnia fuerint Duplicia, vel omnia Semiduplicia, fiat de digniori, seu solemniore, *videlicet, de Festo potioris ritus prae alio ritus inferioris, aut in paritate ritus de primario prae secundo, aut, iisdem primariis vel secundariis, de digniori ratione personae, aut, in paritate dignitatis de fixo prae mobili, aut denique, ceteris paribus, de magis proprio, prae minus proprio;* et quae Duplicia minoris solemnitatis sunt, si transferri valeat, transferantur: aliter de eis, quemadmodum de Semiduplicibus, fiat Commemoratio *aut penitus ommittantur*, juxta superius explicata.

N. 7. Si plura Festa Duplicia ex iis quae transferri possunt, transferenda sint, quod est magis solemne semper prius transferatur, et prius celebretur: alioquin si sunt aequalia, unum ante aliud transferatur eo ordine quo erant celebranda in propriis diebus: *quod etiam servabitur in Festis Duplicibus minoribus, et Semiduplicibus perpetuo impeditis.*

#### XI.—DE CONCURRENTIA OFFICII

N. 4. Semiduplici Festo, Dominica, et die infra Octavam, concurrentibus cum sequenti Duplici, omnia de Duplici cum Commemoratione illorum; nisi Duplex fuerit ex

numero majorum, quae supra in Rubrica de Commemorationibus numerata sunt, in quibus nulla fit Commemoratio praecedentis. Semiduplici Festo concurrente cum sequenti alio Semiduplici, *vel* cum Dominica, a Capitulo fit de sequenti, et Commemoratio praecedentis, nisi aliter signetur. *Eodem vero Semiduplici concurrente cum sequenti die infra Octavam, Vesperae erunt de illo, cum Commemoratione Octavae.* Semiduplici autem concurrente cum sequenti Festo Simplici, *vel* cum Officio Beatae Mariae in Sabbato, omnia de Semiduplici, cum Commemoratione sequentis.

N. 6. Die infra Octavam concurrente cum sequenti Dominica, a Capitulo fit de sequenti, cum Commemoratione Octavae. *Die vero infra Octavam concurrente cum sequenti Semiduplici, Vesperae erunt de sequenti, cum Commemoratione Octavae.* Dies infra Octavam cum Simplici proprie non habet concursum, quia in sequenti die infra Octavam non fit de Simplici nisi Commemoratio, quae et eadem ratione in praecedenti die infra Octavam fieri debet.

N. 7. Die Octava concurrente cum alia die Octava *ceteris paribus*, a Capitulo fit de sequenti cum Commemoratione praecedentis excepta Octava Corporis Christi, concurrente cum Octava Sancti Joannis Baptistae, in qua de sequenti fit *Commemoratio, etiam occurrente Festo Duplici primae classis Sacratissimi Cordis Jesu* et quando aliter in propriis locis notatur. Die Octava concurrenti cum sequenti Duplici minori, etiam translato, *ceteris paribus*, a Capitulo fit de sequenti, cum Commemoratione Octavae (exceptis diebus Octavis *Festorum primariorum* Beatae Mariae Virginis, etiam particularibus alicujus Religionis, *sanctorum Angelorum, sancti Joannis Baptistae, sancti Joseph Sponsi Beatae Mariae Virginis et sanctorum Apostolorum*, in quibus de sequenti fit tantum Commemoratio). Concurrente vero cum sequenti Duplici majori, etiam translato, totum

Officium fit de sequenti cum Commemoratione Octavae: excepta die Octava Epiphaniae, Paschae, Ascensionis, *alisque Festis primariis Domini*, in quibus de sequenti fit tantum Commemoratio. Si autem sequens festum, etiam translatum, fuerit ex solemnioribus supra enumeratis in Rubrica de Commemorationibus in secundo ordine num. 6, totum Officium fit de sequenti, cum Commemoratione Octavae. *Ceteris vero non paribus, quando dies Octava cum alia die Octava concurrit, Vesperae integrae fiunt de illa, quae est Festi potioris ritus aut primarii, aut dignioris ratione personae cum Commemoratione alterius. Concurrente autem cum Festo duplici, Vesperae erunt, vel de die Octava, vel de duplici cum Commemoratione alterius, prouti de Octavis inter se concurrentibus dictum est; exceptis Octavis Festorum Domini et B. Mariae Virginis, ut supra.*

## XII.—DE ORDINANDO OFFICIO EX PRAEDICTIS RUBRICIS

N. 5. In Festis Beatae Mariae (*exceptis iis, quae propria in illis habentur*) Hymni, novem Psalmi, et alia quaedam requirenda sunt ex communi ejus Officio, circa finem Breviarii, *quod inscribitur: In Festis Beatae Mariae Virginis per annum.*

## XX.—DE HYMNIS

N. 3. Dicuntur autem in Officio de Tempore ut in Psalterio, quando proprii Hymni in Proprio de Tempore non adsunt: qui Hymni de Psalterio in Dominicis et Feriis assignati dicuntur ab Octava Pentecostes usque ad Adventum (Dominica infra Octavam Corporis Christi excepta) et ab Octava Epiphaniae usque ad Dominicam primam Quadragesimae exclusive. In Officio de Sanctis dicuntur ut in Communi Sanctorum, nisi proprii in Proprio Sanctorum habeantur. *Quando in aliquo Festo adsint tres Hymni pro*

*prii historici, et Hymnus proprius in primis Vesperis dici nequeat, tunc hic Hymnus dicitur ad Matutinum, Hymnus Matutini ad Laudes, ac Hymnus Laudum ad secundas Vesperas; si vero secundae Vesperae non sint de hoc Festo, tunc Hymnus Vesperarum conjungitur cum Hymno Matutini sub unica conclusione.*

N. 4. In Nativitate Domini usque ad Epiphaniam, in Festo Corporis Christi et per Octavam, et quaecumque fit Officium Beatae Mariae tam novem, quam trium Lectio- num, etiam tempore Paschali, in fine omnium Hymnorum (praeterquam in fine Hymni *Ave maris stella* et Hymni ad Laudes in Festo Corporis Christi, atque *Hymnorum in Festo Septem Dolorum Beatae Mariae Virginis mense Septembris, qui habent ultimum versum proprium*) dicitur: *Jesu tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine*, etc., ut in ejus Officio *per annum*, etiampsi dicantur Hymni de Sanctis, qui infra Octavas praedictas celebrantur, dummodo Hymni illi sint ejusdem metri, nec habeant ultimum versum proprium, ut Hymnus Sanctae Crucis ad Vesperas, et plurimorum Martyrum ad Matutinum.

XXXV.—DE COMMEMORATIONIBUS COMMUNIBUS  
SEU SUFFRAGIIS SANCTORUM

N. 2. Tempore Paschali fit alia Commemoratio de Cruce, ut ibi ponitur in Laudibus Ferae secundae post Dominicam in Albis, et ea solum tunc dicitur; non tamen in Duplicibus, neque infra Octavas, *neque in Officio votivo de Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, aut de Passione Domini.*

*Duplicia 1.<sup>ae</sup> Classis, in quibus, etc.*

Post Festum Corporis Christi addatur: *Festum SS. Cordis Jesu*. Item post Immaculata Conceptio addatur: *Annuntiatio.*

*Duplicia 2.<sup>ae</sup> Classis, in quibus, etc.*

Post: Nativitas (B. M. V.) addatur: *Solemnitas SS. Rosarii.*

*Dominicae 2.<sup>ae</sup> Classis*

Quae numquam omittuntur, nisi, occurrente *Duplici 1.<sup>ae</sup> Classis, et tunc de iis fit Commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus.*

*Duplicia Majora per annum, etc.*

Post: Exaltatio S. Crucis addatur: *Dedicatio Archibasilicae SS. Salvatoris.* Item post: Commemoratio S. Pauli Ap. addatur: *Basilicarum SS. Apostolorum Petri et Pauli.*

**Catalogus festorum quae uti primaria, vel secundaria retinenda sunt ex decretis generalibus S. R. C. diei 27 Augusti 1894 et 5 Februarii 1895.**

FESTA PRIMARIA IN CALENDARIO UNIVERSALI

§ I.—*Duplicia 1.<sup>ae</sup> Classis*

Post: Immaculata Conceptio addatur. *Annuntiatio.*

FESTA SECUNDARIA IN CALENDARIO UNIVERSALI

*Pro aliquibus locis*

Post: Prodigiorum B. M. V. addatur: *Apparitionis B. M. V. Immaculatae; Manifestationis B. M. V. Immaculatae a sacro numismate.*

*Tabella occurrentiae si occurrat, etc.*

1. Notandum, quod Duplex quodcumque, etiam Patroni et Tituli Ecclesiae, vel Dedicacionis ejusdem, occurrens

in Vigilia Nativitatis Domini et Pentecostes, in die Circumcisionis, in die Octava Epiphaniae, in Feria quarta Cinerum, ac in tota majori Hebdomada, et infra Octavam Paschae et Pentecostes, in Ascensione Domini, in Festo Corporis Christi, in Festis Immaculatae Conceptionis, *Anuntiationis*, et Assumptionis B. M. V. in *Nativitate S. Joannis Baptistae*, in Festo S. Joseph, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et Omnium Sanctorum, transferetur, si transferri valeat, aliter de eo fit Commemoratio ipso die quo cadit, vel penitus omittitur, ut ponitur in propriis Rubricis.

2. Infra Octavam Epiphaniae fit tantum *de Duplicibus primae classis occurrentibus* cum Commemoratione Octavae. Alia Festa *novem Lectionum in prima die libera* post Octavam *perpetuo celebrantur*; *de Simplicibus vero fit tantum Commemoratio, ut supra.*

3. Infra octavam Corporis Christi, etc.

4. Infra illas Octavas, etc.

5. De Octava Nativitatis Domini, etc.

6. De aliis Octavis, etc.

7. Dies Octavae, etc.

8. Si *accidat ut Patronus loci*, vel Titulus Ecclesiae descriptus sit eodem die in Calendario cum aliis Sanctis *qui separari queunt*, in ea ecclesia, *vel in loco*, fit tantum de Titulari, vel Patrono. Alii si in dicto Calendario descripti sint sub ritu Duplici *majori, vel minori*, aut Semiduplici, *transferentur perpetuo in diem primam liberam, et de eis fiat Officium Semiduplex. Si vero sint ex Duplicibus I aut II classis, similiter in diem primam liberam perpetuo transferantur, et de eis fiat Officium sub eodem ritu, ac si propria die celebrarentur.* Si autem in Calendario omnes sint tamquam Festum simplex, de eis nihil fit.

9. De Feriis Adventus, etc.

*Tabella Concurrentiæ quando concurrit.*

*Dominica I et II classis, etc.*

.....  
Duplex primæ classis cum Patrono seu Titulo Ecclesia 6.  
.....

Semiduplex cum die infra Octavam 4.  
.....

N. 6. Totum de digniori, Comm. de minus digno: *in paritate dignitatis a Capitulo de sequenti.*

1. Notandum, quod in primis Vesperis diei Octavæ Ascensionis et Corporis Christi, *aliorumque Festorum primariorum Domini*, totum Officium fit de Octava, cum Commemoratione præcedentis Festi duplicis nisi fuerit Festum solemne principale, aut primæ vel secundæ classis: quia tunc de Festo fieret Officium, et Commemoratio de Octava.

2. In secundis Vesperis diei Octavæ *Festorum Domini*, *si primaria fuerint et solemniora, uti Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis, aliorumque* de sequenti Duplici, *si concurrat*, fit tantum Commemoratio, nisi *hoc fuerit primæ vel secundæ classis*; quia tunc de *eo* fieret Officium, et de Octava Commemoratio. *Die Octava Corporis Christi in secundis Vesperis nulla fit Commemoratio sequentis Duplicis (Sacratissimi Cordis Jesu), nisi concurrat*, cum die Octava S. Joannis Baptistæ, *et tunc*, Vesperæ erunt de Octava Corporis Christi, cum Commemoratione Octavæ Sancti Joannis.

3. *Diebus Octavis Festorum primariorum B. Mariæ V., etiam particularibus alicujus Religionis, Angelorum, S. Joannis Baptistæ, S. Joseph et Sanctorum Apostolorum de præcedenti, vel sequenti Duplici minori, fit tantum Commemoratio.*

4. In secundis Vesperis Duplicis primae classis fit Commemoratio de Festis duplicibus et semiduplicibus reductis ad modum *Simplicis tantummodo, si hujusmodi Commemoratio duplicibus tamen secundae classis de dictis facienda sit die sequenti*. In Festis fit Commemoratio *in utrisque Vesperis ad instar Octavae et Dominicae, ut in Rubricis generalibus de Commemorationibus dictum est*; non fit vero Commemoratio de die infra Octavam, nisi quando de ea fieri debeat Officium die sequenti.

5. Cum plures fiunt Commemorationes, servetur hic ordo: *Post Orationem Officii currentis; 1, De Dominica privilegiata; 2, de die Octava; 3, de Duplici majori; 4, de Duplici minori ad instar Simplicium reductis; 5, de Dominica communi; 6, de die infra Octavam Corporis Christi; 7, de Semiduplici; 8, de die infra Octavam communem ad simplicem ritum pariter reductis; 9, de Feria majori vel Vigilia; 10, de Simplici.*

(Continuará)

---

## CANCELARIA DEL SEMINARIO PONTIFICIO DE SALAMANCA

---

### Circular

Pueden aspirar al grado de Licenciado en Sagrada Teología hasta el 30 de Septiembre próximo, todos los estudiantes diocesanos y extradiocesanos que hayan hecho la carrera eclesiástica según el antiguo plan de enseñanza en los Seminarios.

Pasada dicha fecha, deberán acomodarse á la nueva *Ratio Studiorum*.

Los extradiocesanos están dispensados del bienio hasta la fecha indicada.

Salamanca 1.º de Agosto de 1898.

*El Secretario,*

**DR. JUAN CAJAL PAZ.**

---

## HERMANDAD DE SUFRAGIOS MÚTUOS DEL CLERO

---

En 1.º de Agosto actual ha ingresado D. Marcelino García y García, Ecónomo de Villarejo, en el Obispado de Ciudad-Rodrigo.

---

## BIBLIOGRAFÍA

---

Sumario de las materias que contiene el último número de la *La Basilica Teresiana*, correspondiente al 15 de Julio de 1898:

- I. *Consagración en Avila*, Francisco Jarrín.—II. *Cronología de la vida de Santa Teresa de Jesús* (continuación), Fernando G. Escribano.—III. *Escudo salvador*, Tomás Redondo.—IV. *El Patronato de Santa Teresa*, Miguel Boloa y Sintas.—V. *La conozco* (poesía), Juan Bautista Altés.—VI. *El idealismo*, Mariano Domínguez Berueta.—VII. *Dos Hijos de Santa Teresa*, Gracián.—VIII. *Recuerdos del convento de San José en Avila*, R.—IX. *Crónica*: a) *Consagración de una iglesia*. b) *Noticias varias*.—X. *Donativos para las obras de la Basilica*.
- GRABADOS.—La Virgen del Carmen.—Avila: Templo conventual de San José.—Convento de la Encarnación: sillería del coro en que la Santa vió muchedumbre de ángeles cantando *Maitines*.

---

**SALAMANCA.**—Imp. de Calatrava, á cargo de L. Rodríguez.—Teléfono 17